

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXXVIII. De veste nuptiali.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

III. 5.) Quilibet enim omne quod in se vitiosum est mortificet, ut ante mortem, vel saltem in morte, liber a peccato, pignus meum, quod ipse est, lætus mihi reddat. Specialiter autem spirituales homines pignus meum sunt, quos ad tam singularem et præcipuam vocavi gloriam; qui quoties voluntatem suam in aliquo sibi difficili mihi offerunt, toties pignus meum magis adornatum mihi repræsentant; sicut qui amici sui pignus penes se haberet, et quoties illud respiceret, toties aurum vel gemmas ipsi adderet speciosas. »

## CAPUT XXXVIII.

## DE VESTE NUPTIALI.

AUDIENS etiam in Evangelio legi: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (MATT. XXI. 12.) dixit ad Dominum: « Mi dilecte, quæ est vestis sine qua nullus ad tuas nuptias poterit pervenire? » Mox ostendit illi Dominus vestem purpureo, candido et aureo colore mirifice intextam, dicens: « Hæc est vestis nuptialis, facta ex candore mundi cordis, et purpura humilitatis, et auro divini amoris. Quicumque hanc vestem habere voluerit, oportet cor mundum habere, ut sponte sua nullam malam cogitationem cordi suo inhærere permittat, et quidquid videt vel audit, non ad malum, sed ad bonum dijudicet et convertat; humiliter etiam et dulci corde prælatis suis, imo omni creaturæ, se propter Deum subjiciat; Deum tota mente etiam diligat; et omnem creaturam respectu Dei vilipendat, nec aliquid sic diligat, si ipsum a Deo elongat, quin illud omnino abjiciat et fugiat. »

Cor  
mundum,  
humile et  
amans  
Deum.